

PHILIPPVS MELANCTHON STUDIOSIS
ADOLESCENTIBVS. S. D.



VLLVM aptius ornamentū uestibulo huius libri, qui aditum patefacit ad geometriā, addi posse statuebam, quam symbolum, quod Plato in foribus scholæ suæ pinxisse dicitur, uidelicet, ἀγεωμέτρητος οὐδὲς εἰσίτω. Multorum autem coniecturas exercuit huius dicti interpretatio: Alij iudicant Platonem à Schola tanquam pollutos & prophanos arcere imperitios geometriæ, cuius elementa tunc omnibus qui liberaliter instituebantur, statim à teneris tradi solebant. Alij transferunt ad mores, & significatum putant philosophiæ studiosis, ut geometrica proportione mediocritatem, atque æquabilitatem quandam in omnibus officijs conseruent, quem modum & in Gorgia cum reprehendit iniustam opinionem Calliclis, inquit eum negligere geometriam. Etsi autem satis apparet ex scriptis Platonis, libenter eum exempla geometrica ad mores accommodasse, tamen dubitari non potest, quin in hoc symbolo simul aliquid de ordine disciplinarum monuerit, & in geometria præparandos esse senserit eos, qui ad philosophiam accessuri eius essent. Eius sententiæ multæ grauissimæ causæ sunt, Non enim tantum releganda est hæc ars, ad mechanicos, qui ædificia, uasa, aut alia exigua corpora metiuntur, etsi ea etiam exercitatio liberalē doctrinam cōtinet, & magnas ad uitā utilitates affert. Sed philosopho propter alias multas causas opus geometriæ scientia. Inde enim oriuntur initia physices. Et passim in omnibus partibus physices plurimæ demonstrationes ex hac arte sumuntur, quales sunt primæ illæ, quæ ostendunt, Mundū esse finitum, nō esse plures mundos, nullum esse corpus infinitū: sunt enim hæc uera physices exordia. Deinde cum demonstrationes geometricæ maxime sint illustres, nemo sine aliqua cognitione huius artis satis perspicit, quæ sit uis demonstrationum, nemo sine ea erit artifex methodi. Quare & Plato dixit, ob eam causam etiā discendam esse geometriā, quia eius cognitio conducat ad hoc, ut aliæ artes facilius, & rectius percipiāntur. Sed maxime illustris utilitas est in metiēda magnitudine terræ, & cœlestium corporū ac spatiorum. Estque hæc summa laus geometriæ, quod non hæsit in exiguis & his inferioribus machinis, sed euolauit in cœlum, & humanas mentes humi abiectas rursus in illam cœlestem sedem subuexit, & admirandū mundi opificium, & gubernationem eius nobis mōstrauit. Denique exultantes animos, in patriam ac familiaritatem cœlestium, atque adeo ad agnitionem Dei traduxit. Magnam enim uim habet ad confirmandas honestas opiniones de Deo, in animis hominum, hæc ipsa doctrina, in qua mundi opificium & gubernatio spectantur. Cum igitur fontes huius præstā